

1797

CASUISTICI.

1798

aliquo postea oblitteratum. Opus ceterum jam *Vol. I. P. 3. col. 2505.* et alias hoc *Vol.* retuli una cum *Adparatu* seu *Glossa*, qua etiam in praesenti Exemplo gaudet. Nec sub finem alphabetica in omnes IV. Libros Tabula deest. Fuit olim Bibliothecae Episcopatus *Neostadiensis*.

DCCXLVI.

R. 3040

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 321. f. luculente et pulcre perscriptus, coloribus illustratus, annoque 1426. donatus, ut praefertur, *Monasterio sancte Dorothee vienne ab Ordinario in Scola Juristarum Magistro Casp. ro* (de Meiselftein) aliud est praecedentis *Summae* Exemplar *Glossa* Textum passim ambiente, et ad calcem Tabula alphabetica instructum. Ante Tabulam minio: *Johannes de Columbaria* (Colmaria) *dictus Hebesche scripsit summam istam. Sit nomen domini benedictum. Amen.* Quid vero penſi receperit, notavit Possessor *fol. ult. vacuo* ita: *Pro pergameno. et Scriptori. dedi in ista Summa. VIII. libras. et VII. solidos. Sine illuminatura. ligatura. et correctura.*

DCCXLVII.

R. 3114

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 222. 4. optime scriptus et servatus, coloribus illustratus, ejusdemque olim *Monasterii* eandem *Summam* exhibet, *Denis Codd. Theol. V. II. P. III.*

Autoris nomine sub initium et finem sola prima litera R. expresso, cui in fine additur: *de mio*, quod, ne quem moretur, contractum est pro *Matrimonio*.

DCCXLVIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 68 XIV. Folior. 343. 8. per duas columnas manu difficiliore exaratus, rubricis insignitus, et quondam *congregationis monachorum sancte Justine de padua deputatus Monasterio sanctorum Seuerini et Sostij de Neapoli* praetextis quibusdam fragmentis aliquot *Sermonum* de B. V. Maria continet S. *Raymundi de Peniafort* O. P. qui jussu *Gregorii IX.* compilavit V. *Decretalium* Libros, et annum 1275. supremum vitae habuit, *Summam de Poenitentia et Matrimonio* IV. Libris distinctam, cujus initium est: *Incipit summa de casibus compilata a fratre remondo. Quoniam ut ait iberonimus secunda post naufragium tabula est culpam simpliciter confiteri &c.* Comitatur *Raymundi* textum in marginibus *Glossa*, quae in edit. Rom. 1603. f. quae mihi objacet, *Johanni de Friburgo* ejusdem Ord. nobis Germanis fatiſ noto aperte tribuitur, reclamante postmodum *Jac. Quetifo* in *Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 109. f.* huic turpi, ut vocat, errato, *Glossamque* hanc *Guilelmo Rhedonensi* alteri Sodali suo solide vindicante, cui et *Codex* noster adſtipulatur; ad calcem enim Operis post hanc clausulam: *Explicit summa Magistri Ray-*

B

mun-

mundi qui fuit Magister Ord. fratrum pred. et penitentiarius domini pape; additur altera: *Explicit etiam apparatus super Summam predictam fratris Guilielmi Rbedonensis quondam lectoris fratrum ord. pred. aurelianensium. Qui fuit Magister in decretis et peritus in legibus. Atque ex hac Clausula etiam adparet, non errasse absolute Laur. Pignonium, ut putavit Quetifus, Guilelmum adpellando Aurelianensem. Interim tamen mirari subit, Quetifum et Echardum plus vidisse, quam totum Praedicatorum Ordinem, qui editionem supracit. Clementi VIII. Pont. M. inscripsit Johannis de Friburgo nomine in fronte expresso. Codici nostro demum adscripta sunt Carmina memorialia Casus in *Raymundina* expositos complexa.*

DCCXLIX.

R. 2278 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 479. f. maj. per duas columnas bene scriptas, coloribus illustratus, haec in anteriore Theca praefert: *Istam Summam Confessorum Testatus est Monasterio sancte Dorothee uirginis vienne Honorabilis presbiter Dominus Erhardus grutsch De Marbegka (oppido infer. Austr.) Confessor ad sanctum Jacobum (Collegium tum Virginum O. S. Aug.) Obijt autem Sexto idus Augusti. Anno domini M^o CCCC^o XXXVI^o. Ego qui hoc scripsi vellem, quod omnes homines scirent quam laudabiliter et feliciter iste Sacerdos clausit diem vite sue extremum. Nam*

*quinta hora post acceptam absolutionem a pena et a culpa auctoritate sacrosancte Synodi Basiliensis cum bona ratione orando quieuit in pace. Sit nomen domini Benedictum, qui dedit nobis hunc librum, quoniam ab ipso procedit omne bonum. Sciendum quod supradictus Dominus Erhardus grutsch testatus est Monasterio sancte Dorothee vienne Triginta septem Volumina magna et parua, sicut continentur in libraria. Dilecti fratres sitis memores istius sacerdotis in orationibus vestris, quia magnam confidentiam gessit de nobis sperans se iuari orationibus nostris. Lubens haec transcribo; priscum enim candorem, caritatem, gratum animum et *Εὐλοφιλίαν* spirant. Habemus hic igitur *Summam Confessorum*, sive Opus Canonico - Morale de Casibus Conscientiae saepius typis vulgatum Johannis ex Ord. Praed. dicti *Lectoris Friburgensis* in Brisgoja a. 1314. fato functi, de quo Bibliothecarii Ord. egere T. I. p. 523. Incipit nobis a Monito: *Nota, quod lector iste Johannes ante compilationem huius summe confessorum fecerat tabulam super summam Raymundi (de Pennafort) et apparatus eius. Verificationem quoque seu declarationem plurium que in ipsa summa et Glosa ipsius habentur. Nec non et quendam libellum specialem de questionibus casualibus, cui libello hunc prologum preposuit. Et quia de prioribus hijs opusculis mentio fit in sequenti Prologo. Ideo ad intellectum illius prologi hunc illi iudicauit preponen-**